

Axiomata.

1. Impetus impetui additus, impetus fit major.
2. Impetus ab impetu ablatus, impetus remanet minor.
3. Omnis tandem impetus per resistantiam æqualem sublatus, remanet nullus, id est, corpus quiescit.

Propositio 1.

Nulla particula quiescens nisum sibi ipsi dare potest.

Quia (per defin. 3.) *causa est extra eam.*

Propositio 2.

*Quiescens particula ab aliâ, quantulo-
cunque impetu, tacta movetur.*

Si enim nō movetur uno, quotquot vel infinitis talibus impulsibus leviculis non movebitur. Nam cùm unus eorum nullum habet effectum, omnes tamen æqualiter operentur, etiam aggregatum eorum nullum habebit effectum, hoc est, vis finita infinitæ non cedet, quod est absurdum.

Movetur autem per eam viam, quam movens determinat. Si movens progreditur rectâ, & motum ita ibit; si circulariter, & hoc; si mixtè, mixtè.

Prop. 3.

Terra movetur.

Cum aura ætherea totum mundum, ipsosque Terra-quaërei globi poros occupet, & perpetuò moveatur, (per hypoth. 1. 2. 3.) terram sibi contiguam movebit, (per prop. 2. hujus.)

Prop. 4.

*Partes & particulae crassiores fortius mo-
ventur, quam subtiliores.*

Cum